

et hoc ad óptimum statum perveniat; ita ut nec discórdans contentio ad subversiónem justitiæ locum inveniat, neque iterum in perquirénda veritate vigor nostri órdinis, vel sollicitúdo tepéscat.

Post allocutionem hujusmodi, vel prius, prout magis placuerit Pontifici, fit per aliquem virum doctum idoneum sermo, in quo tractatur de disciplina ecclesiastica, de divinis mysteriis et de correctione morum in Clero secundum ea, quæ Pontifici videbuntur. Et post sermonem, querelæ, si quæ sint, audiuntur.

Deinde Archidiaconus ex suggesto alta voce legit decreta sacri Concilii Tridentini de residentia, et de professione fidei, quam tunc emittent omnes, qui ad eam tenentur, in manibus Pontificis, juxta formam infra positam; item de eligendis examinadoribus, qui statim nominantur, et approbantur, et jurant in manibus Pontificis, demum de eligendis iudicibus causarum, qui similiter pronuntur, ut supra.

Postremo caritative monentur omnes, quod durante Synodo honeste se habeant in omnibus, et extra; ita quod eorum conversatio ceteris sit merito in exemplum. Quo facto, surgit Pontifex, et solemniter omnibus benedicit, dicens:

Sit nomen Dómini benedictum, etc., more consueto; qua data, discedunt omnes.

Forma juramenti.

Ego **N.** firma fide credo, et profiteor ómnia, et singula quæ continentur in símbolo fidei, quo sancta Romána Ecclesia útitur; videlicet, Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibílium ómnium, et invisibílium. Et in unum Dóminum Jesum Christum, Fílium Dei unigénitum. Et ex Patre natum, ante ómnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Génitum, non factum, consubstantiálem Patri, per quem ómnia facta sunt. Qui propter nos hómines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnátus est de Spíritu sancto ex María Vírgine: et homo factus est. Crucifixus étiam pro nobis, sub Póntio Piláto passus et sepúltus est. Et resurrexit tértia die, secúndum Scriptúras. Et ascendit in cœlum; sedet ad dexteram Patris. Et iterum ventúrus est cum glória iudicare vivos, et mórtuos; cujus regni non erit finis. Et in Spíritum sanctum Dóminum, et vivificántem: qui ex Patre Fílioque procedit. Qui cum Patre et Fílio simul adorátur, et conglorificátur: qui locútus est per Prophétas. Et unam sanctam Cathólicam et Apostólicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuórum. Et vitam ventúri sæculi. Amen. Apostólicas, et Ecclesiásticas traditiónes, reliquásque ejúsdem Ecclesiæ observatiónes, et constitutiónes firmíssime admitto et ampléctor.

Item sacram Scriptúram juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est iudicare de vero sensu et interpretatióne sacrárum Scripturárum, admitto; nec étiam umquam nisi juxta unánimem consensum Patrum accípiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et próprie Sacraménta novæ legis, a Jesu Christo Dómino nostro institúta, atque ad salutem humáni géneris, licet non ómnia singulis necessariá, scilicet Baptísmum, Confirmatiónem, Eucharístiam, Pœniténtiam, Extrémam Unctiόnem, Ordinem, et Matrimónium; illaque grátiam conférre, et ex his Baptísmum, Confirmatiónem, et Ordinem, sine sacrilégio reiterári non posse. Recéptos quoque et approbátos Ecclesiæ Cathólicæ ritus, in supradictórum ómnium Sacraméntórum solénni administratióne recípio et admitto: ómnia et singula quæ de peccáto origináli, et de justificatióne, in sacrosáncta Tridentína Sýnodo definita et declarata fuérunt, ampléctor et recípio.

Profiteor páriter in Missa offerri Deo verum, próprium, et propitiatórium sacrificium, pro vivis, et defúctis: atque in sanctíssimo Eucharístiæ Sacraménto esse vere, réaliter et substantiáliter Corpus, et Sánguinem una cum ánima, et divinitate Dómini nostri Jesu Christi, fierique conversiόnem totíus substántiæ panis in Corpus, et totíus substántiæ vini in Sánguinem, quam conversiόnem Cathólica Ecclesia Transubstantiatiόnem appellat.

Fáteor étiam sub áltera tantum spécie, totum atque íntegrum Christum, verúmque Sacraméntum sumi. Constánter téneo Purgatórium esse, animásque ibi deténtas fidélium suffrágiis juvári. Simíliter et Sanctos una cum Christo regnántes, venerándos atque invocándos esse; eósque oratiónes Deo pro nobis offerre; atque eórum reliquias esse venerándas. Firmíssime ássero imágenes Christi, ac Deíparæ semper Vírginis, necnon aliórum Sanctórum habéndas et retinéndas esse, atque eis débitum honórem ac veneratiόnem impertiéndam. Indulgentiárum étiam potestatem a Christo in Ecclesia relíctam fuisse; illarúmque usum christiáno pópulo máxime salutárem esse affírmo. Sanctam Cathólicam, et Apostólicam Románam Ecclesiam, ómnium Ecclesiárum matrem, et magistrám agnóscó; Romanóque Pontífici, beáti Petri Apostolórum princípis successóri, ac Jesu Christi Vicáριο veram obediéntiam spondeo, ac juro. Cétera item ómnia a sacris Canónibus, et œcuménicis Concíliis, ac præcipue a sacrosáncta Tridentína Sýnodo et ab œcuménico Concílio Vaticanó tradita, definita, et declarata, præsertim de Románi Pontificis Primátu et infallíbili magisterio indubitánter recípio atque profiteor; simúlque contrária ómnia, atque hèreses quascúmque ab Ecclesia damnatas, et rejéctas, et anathematizatas, ego páriter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Cathólicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsentí sponte profiteor, et veráciter téneo, eámdem íntegram, et inviolátam, usque ad extrémum vitæ spíritum, constantíssime (Deo adjuvánte) retinére, et confitéri, atque a meis súbditis, vel illis, quorum cura ad me in múnere meo spectábit, tenéri, docéri, et

prædicári, quantum in me erit, curatúrum. Ego idem **N.** spóndeo, vóveo, ac juro. Sic me Deus ádjuvet, et hæc sancta Dei Evangélia.

Secunda die convenientibus iterum omnibus in Ecclesia, finita Missa, Pontifex, paratus ut supra, procedit coram altari, Diacono et Subdiacono, paratis ut supra, ipsum associantibus, et ibi in faldistorio ante medium altaris juxta inferiorem gradum sibi parato genuflexus, deposita mitra, inchoat, schola prosequente, Antiphonam:

Propítius esto peccáti nostris, Dómine, nequándo dicant Gentes: Ubi est Deus eórum?

Finita Antiphona, et incepto Psalmo, sedet Pontifex, reassumpta mitra, usque ad finem Psalmi.

Psalmus 78.

Deus venérunt Gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum: * posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiám.

Posuérunt morticína servórum tuórum, escas volatilibus cœli: * carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Effuderunt sánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerúsalem: * et non erat qui sepeffret.

Facti sumus oppróbrium vicinis nostris: * subsannátio et illúsió his, qui in circúitu nostro sunt.

Usquequo Dómine irascéris in finem: * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effúnde iram tuam in Gentes, quæ te non novérunt: * et in regna, quæ nomen tuum non invocavérunt:

Quia comedérunt Jacob: * et locum ejus desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum, cito antíci-

Deinde, finito Psalmo, et repetita Antiphona, Pontifex, deposita mitra, surgit, et stans versus ad altare, dicit:

Orémus.

Nostrórum tibi Dómine curvántes gēnua córdium, quæsumus, ut bonum quod in nobis a te requíritur exsequámur; scilicet, ut

pent nos misericórdiæ tuæ: * quia paúperes facti sumus nimis.

Adjuva nos Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui Dómine libera nos: * et propítius esto peccáti nostris, propter nomen tuum:

Ne forte dicant in Géntibus: Ubi est Deus eórum? * et innotéscat in natióibus coram óculis nostris.

Ultio ságuinis servórum tuórum, qui effúsus est: * intróeat in conspéctu tuo gémitus compeditórum.

Secúndum magnitúdinem bráchii tui, * pósside filios mortificatórum.

Et redde vicinis nostris séptuplum in sinu eórum: * impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi Dómine.

Nos autem pópulus tuus, et oves pásuæ tuæ, * confitébimur tibi in sæculum.

In generatióem et generatióem * annuntiábitis laudem tuam.

Glória Patri. Sicut erat, etc.

prompta tecum sollicitúdi-ne gradiétes, discretiónis árduæ subtile júdicium faciámus; ac misericórdiam diligétes, clareámus stúdiis tibi plácitæ actiúnis. Per Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

Orémus.

Méntibus nostris, quæsumus Dómine, Spíritum sanctum benígnus infúnde, quátenus in nómine tuo collécti, sic in cunctis teneámus cum moderámine pietátis justítiam, ut hic a te in nullo dis-séntiat volúntas nostra, sed semper rationabilia meditántes, quæ tibi sunt plácita, et dictis exsequámur, et factis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. **R.** Amen.

Orémus. *Et ministri dicunt:* **Flectámus gēnua. R.** Leváte.

Deus, qui nos justítiam loqui, et quæ recta sunt, præcipis júdicare; tribue nobis, ut neque iníquitas in ore, nec právitas inveniátur in mente; ut puro cordi púrior sermo conséntiat, ostendátur in ópere justítia, neque appáreat dolus in lingua, sed ex corde véritas proferátur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. **R.** Amen.

Post hæc Pontifex, accepta mitra, ascendit ad planum altaris, et sedet in sede, seu faldistorio ibidem sibi parato.

Tum accedit Diaconus cum thuriferario, et Pontifex imponit incensum; deinde Diacono benedicit, qui procedens ad locum consuetum signat, incensat, et cantat Evangelium, ut heri, Pontífice ante sedem prædictam sine mitra verso ad Diaconum stante.

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Capit. 10.**

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuaginta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem, et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculúm, neque peram, neque calceaménta, et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dicite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte edétes, et bibétes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis: et curáte infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Quo finito, et per Pontificem libro osculato, et ipso incensato, Pontifex sine mitra ante sedem prædictam versus ad altare, ac aliis omnibus in suis locis genuflexis, incipit, schola prosequente, Hymnum:

Veni creátor Spiritus.

Et dicitur totus, ut supra, pag. 31. Quem schola prosequitur, ut in primo die. Finito primo versu, Pontifex surgit, stans versus ad altare, detecto capite usque ad finem Hymni. Simili modo faciunt omnes alii. Expleto Hymno, omnes sedeant in silentio. Tunc Pontifex sedens in sede prædicta cum mitra, Synodum his verbis alloquitur, si velit:

Venerábiles, et dilectíssimi fratres nostri, opórtet ut sicut hestérna die admonúimus benígnam mansuetúdinem vestram de divínis officiis, et sacris altáris grádibus, aut étiam de móribus, et necessitátibus ecclesiásticis, quæcúmque emendánda, vel renovánda sunt, caritas ómnium vestrum, ubicúmque nóverit áliqua emendatióne condígna, in médium proférre non ámbigat; ut per vestræ caritátis stúdiúm, Dómino largiénte, ad óptimum pervéniant statum, ad laudem, et glóriam nóminis Jesu Christi Dómini nostri.

Post allocutionem hujusmodi, vel prius, si magis placet Pontifici, fit sermo per aliquem doctum idoneum, in quo iterum tractetur de disciplina ecclesiastica, et aliis, de quibus Pontifici videbitur. Deinde Archidiaconus alta voce legit Apostolicas Constitutiones ibi non promulgatas, vel alias, pro Pontificis arbitrio. Quo finito, leguntur Constitutiones per Synodum approbandæ; quibus lectis, habito scrutinio, quæ placent, per Patres confirmantur. His peractis, Pontifex surgens benedicit omnibus solemniter, ut heri. Deinde omnes discedunt.

Die tertia, conventionem facta in Ecclesia, finita Missa, Pontifex paratus, ut heri, assistentibus sibi Diacono et Subdiacono paratis, genuflexus in faldistorio juxta inferiorem gradum ante medium altaris sibi parato, deposita mitra, incipit, schola prosequente, Antiphonam:

Exaúdi nos Dómine quóniam benígna est misericórdia tua: * et secúndum multitudínem miseratiónum tuárum respice nos Dómine.

Psalmus 68. Salvum me fac Deus; * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Et dicitur totus, prout habetur supra in primo die, pag. 244.

Deinde repetitur Antiphona. Incepto Psalmo, Pontifex sedet, et accipit mitram, sic manens quousque Psalmus finiatur, et Antiphona repetatur: qua repetita, deposita mitra, surgit, et stans versus ad altare, dicit:

Orémus.

Ad te Dómine intérni clamóris vóribus proclamántes, unánimiter postulámus, ut respéctu tuæ grátiae solidáti, præcónes veritátis efficiámur intrépidi, tuúmque valeámus verbum cum omni fidúcia loqui. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. **R.** Amen.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, qui sacro verbi tui oráculo promísisti, ubi duo, vel tres in nómine tuo congregáti essent, te

médium fore; adésto cœtui nostro propítius, et cor nostrum illúmina miséricors, ut a bono misericórdiæ tuæ nullátenus aberrémus, sed rectum justítiæ tuæ trámitem in ómnibus teneámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit, et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

R. Amen.

Orémus. Et ministri dicunt: Flectámus gēna. **R.** Leváte.

Deus, qui pópulis tuis et indulgētia cónsulis, et amóre domináris; da spíritum sapiētiæ tuæ, quibus dedísti régimen disciplínæ: ut de proféctu sanctárum óvium fiant gáudia ætérna pastórum. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit, et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. **R.** Amen.

Post hæc Pontifex, accepta mitra, ascendit ad planum altaris, sedens in sede, seu faldistorio ibidem sibi parato. Tum accedit Diaconus cum thuriferario, et Pontifex imponit incensum; deinde benedicit Diacono, qui procedens ad locum consuetum signat, incensat, et cantat Evangelium, ut heri, Pontifice ante sedem prædictam sine mitra verso ad Diaconum stante.

✠ Sequētia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Capit. 18.

In illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis: Si peccáverit in te frater tuus, vade, et córripe eum inter te, et ipsum solum. Si te audierit, lucrátus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, ádhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duórum vel trium téstium stet omne verbum. Quod si non audierit eos: dic Ecclésiæ. Si autem Ecclésiám non audierit, sit tibi sicut éthnicus, et publicánus. Amen dico vobis, quæcúmque alligavéritis super terram, erunt ligáta et in cœlo: et quæcúmque solvéritis super terram, erunt solúta et in cœlo. Iterum dico vobis: quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcúmque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregáti in nómine meo, ibi sum in médio eórum. Tunc accédens Petrus ad eum, dixit: Dómine, quóties peccábit in me frater meus, et dimíttam ei? usque sépties? Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque sépties; sed usque septuágies sépties.

Quo finito, et per Pontificem libro osculato, et ipso incensato, Pontifex sine mitra ante sedem prædictam versus ad altare, atque aliis omnibus in locis suis genuflexis, incipit, schola prosequente, Hymnum:

Veni creátor Spiritus.

Et dicitur totus, ut supra, pag. 31. Finito primo Versu, Pontifex surgens, stat versus ad altare, detecto capite usque ad finem Hymni. Simili modo faciunt omnes alii. Expleto Hymno, omnes sedent in silentio. Tunc Pontifex sedens in sede prædicta cum mitra, Concilium seu Synodum his verbis alloquitur, si velit. Poterit tamen hujusmodi allocutionem omittere, et quod ejus loco, si placebit, per aliquem doctum idoneum, de his quæ in allocutione continentur, et aliis opportunis, sermo fiat, committere.

Venerábiles, et dilectíssimi fratres, cónvenit, ut ea quæ de ecclesiasticis officiis et sacerdotálibus grádibus, vel étiam canónicis sanctiónibus, propter divérsas occupatiónes, aut (quod negáre non póssumus) propter nostram, aliorúmque desidiam, non tam plene, ut opórtet, exsecúta sunt; ómnium nostrum unánimi consénsu et voluntáte requirántur, et humíliter coram caritate vestra reciténtur; ut quæ digna sunt emendatióne ad meliorem statum, auxiliánte Dómino, perducántur. Et cui fortásse áliquid, quod digéstum est, displicet, caritati vestræ cum benignitate et modéstia intimáre non differat; quátenus totum quod synodáli conventiÓne nostra statútum fúerit vel renovátum, absque omni contrarietate, concórdia sanctæ pacis ab ómnibus æque custodiátur, ac teneátur, ad augméntum æternæ beatitudinis ómnium nostrum.

Post hæc leguntur Constitutiones, si quæ sint per Synodum approbandæ; quibus lectis, et per Patres, si placet, confirmatis, atque omnibus terminatis, Pontifex sedens cum mitra omnium orationibus se commendat. Deinde leguntur nomina omnium qui Synodo interesse debent, et præsentés ad sua nomina surgunt, et respondent singuli: Adsum.

Absentes vero notantur, et per Pontificem debita pœna mulctantur. Demum Pontifex adhuc in sede prædicta cum mitra sedens, si placet, congregatos admonet, et exhortatur sub hujusmodi verbis:

Fratres dilectíssimi, et Sacerdótes Dómini, Cooperatóres Ordinis nostri estis. Nos, quamvis indigni, locum Aaron tenémus, vos autem locum Eleázari, et Ithámari. Nos vice duódecim Apostolorum fúngimur, vos ad formam septuaginta duórum discipulórum estis. Nos pastóres vestri sumus, vos autem pastóres animarum vobis commissarum. Nos de vobis ratióne redditúri sumus summo Pastóri nostro Dómino Jesu Christo, vos de plébibus vobis commendátis. Et ideo, fratres dilectíssimi, vidéte periculum vestrum. Admonémus itaque, et obsecrámus fraternitatem vestram, ut quæ vobis suggérimus, memóriæ commendétis, et ópere exercére studeátis. In primis admonémus, ut vita et conversatió vestra sit irreprehensibilis. In dómibus vestris mulieres non cohábent. Omni nocte ad noctúrnas horas súrgite. Officium vestrum horis certis decantáte. Nullus, nisi jejúnus, Missam celebret, et non in véstibus commúnibus, sed sacris, et nítidis, amíctu, alba, cingulo, manípulo, stola et cásula, quæ ad álios usus non sérviant. Missas religiÓse celebráte: Corpus, et Sanguinem Dómini nostri Jesu Christi cum omni reveréntia, et tremóre súmite. Corporália mundíssima sint. Vasa sacra própriis mánibus ablúite, et extérgite diligénter. Nulla fémína ad altáre Dómini accédát, nec cálicem Dómini tangat. Altáre sit coopértum mundis línteis, saltem tribus divérsis. Et désuper nihil ponátur, nisi reliquiæ, ac res sacræ, et pro sacrificio opportunæ. Missále, Breviárium, et Martyrológium unusquisque hábeat. Ecclesiæ vestræ bene sint coopértæ, et mundæ. In sacri-

stiis sive secretáriis, aut juxta altáre majus, sit locus præparátus ad infundéndum aquam ablutiÓnis corporálium, et vasórum sacrórum, ac mánuum postquam sanctum Chrisma, aut óleum Catechumenórum, vel Infirmórum tractaveritis. Ibique pendeat vas cum aqua munda, pro lavándis mánibus Sacerdotum, et aliórum qui rem sanctam et officium divinum sunt peractúri, et prope, línteum mundum ad illas abstergéndum. Atria Ecclesiæ sint bene muníta. Nullus sine scitu, et consénsu nostro, per potestatem sæculárem, Ecclesiám obtíneat. Nullus Ecclesiám, ad quam intitulátus est dimittat, et ad áliam quæstus grátia se tránsferat. Nullus plures Ecclesiás sine título, et contra sacrórum Cánonum dispositiÓnes nancisci præsumat. Nullatenus étiam una Ecclesiá inter plures dividátur. Nullus extra Ecclesiám in locis non consecrátis celebret. Nullus altérius parochiánum, nisi itinerántem, et tunc de Rectóris sui licéntia ad communiÓnem recipiat. Nullus in altérius parochia absque próprii Sacerdotis licéntia Missam celebret. In celebratiÓne, quisque Cálicem, et obláta, non círculo, aut digitórum vacillatiÓne, ut quidam faciunt, sed junctis et exténsis dígitis cruce signet, sicque benedicat. Calix, et paténa sunt aúrei, vel argéntej, non ærei, aut aurichálcei, vítrei, vel línei. Quisque Præbyter cléricum hábeat, vel scholárem, qui cum eo Psalmos cantet, Epístolam, et LectiÓnem legat, et in Missa respóndeat. Ipse quoque Præbyter infirmos visitet, et reconcíliet, et juxta Apóstolum própria manu commúnicet, óleo sancto inúngat. Nullus præsumat trádere communiÓnem láico aut fémínæ, ad deferéndum infirmo. Nullus pro baptizándis infántibus, sive adúltis, aut infirmis reconciliándis, aut mórtuis sepeliéndis, præmium vel munus éxigat. Per negligéntiam vestram nullus infans sine Baptismo, et adúltus sine CommuniÓne péreat. Nullus vestrum sit ebriÓsus, aut litigiÓsus. Nullus arma ferat. Nullus canum, aut ávium jocis insérviat; nullus in tabéris bibat. Quisque vestrum, quantum sapit, de Evangélio Dóminico et céteris festívis díebus suæ plebi annúntiet. Verbum Dómini prædicáte. Curam paúperum, peregrinórum, viduárum, et orphanórum hábete, ipsósque peregrinos ad prándium vestrum vocáte. Estóte hospítales, áliis exínde bonum exémplum præbéntes. Singulis díebus Dóminicis ante Missam, aquam, qua pópulus aspergátur, benedicite, ad quod vas próprium hábete. Vasa sacra et vestiménta sacerdotália, nolíte negotiátóri aut tabernário in pignus dare. Minus digne pœniténtem cujuscúmque rei grátia ad reconciliatiÓnem non addúcite, neque ei reconciliatiÓnis testimónium perhibéte. Usúras non exigite. Nec facultates vestras post ordinatiÓnem vestram acquisitas alienáte, quóniam Ecclesiæ sunt. Nullus étiam res, possessiÓnes, aut mancipium Ecclesiæ véndere, commutáre, aut quocúmque ingénio præsumat alienáre. Nullus decimam

altéris recipiat. Nullus pœnitentem, carnem manducare, aut vinum bibere invitet, nisi pro eo tunc eleemôsynam fécerit. Quisque fontes baptismâles lapideos hábeat bene mundos; quos si habere non pót-erit, vas áliud ad hoc opus solum deputátum teneat. Omnibus parochiânis vestris Sýmbolum, et Oratióem Domínicam insinuáte. Jejúnia Quadragésimæ, Quátuor Témporum, et ália Ecclésiæ mandáta significáte observánda. Ante Quadragésimam quarta féria pópulum ad confessiõnem invitáte et conféssis juxta qualitátem criminum pœnitentiám injúngite. Tribus témporibus in anno, id est, Nativitáte Dómini, Pascha, et Pentecóste, omnes fidéles accédere ad communiõnem córporis Dómini nostri Jesu Christi admonéte, et ne omíttat, quin saltem in Pascha commúnicet. Certis témporibus conjugátos abstinére ab uxóribus exhortámini. Nullus vestrum rúbeis, aut virídibus, vel laicálibus véstibus utátur. Diem Domínicam, et céteras festivitátes, absque ópere servíli, a véspera in vésperam celebrári docéte. Cantus, et choréas mulierum in átrio Ecclésiæ prohibéte. Incantatiõnes super mórtuos noctúrnis horis a vulgo fieri consuétas sub contestatiõne Dei omnipoténtis vetáte. Cum excommunicátis nolíte communicáre: Nec quis vestrum in eórum præséntia celebráre præsúmat, quod étiam plebi nuntiáte. Et nullus ex plebe uxórem domum ducat, nisi prius núptiæ témporibus ab Ecclésiá permissis públice fúerint celebrátæ. Quod nullus ad raptam, vel consanguíneam accédát, aut altéris sponsam ducat omnímódis prohibéte. Porcários, et álios pastóres, saltem Domínica die faciátis venire ad Missam. Patrínos, ut filiólos Sýmbolum et Oratióem Domínicam dóceant, aut docéri faciánt, exhortámini. Sacraméntum Eucharístiæ, sanctum Chrisma, et Oleum Catechumenórum, ac sanctum, seu Infirmórum, in Ecclésiá in loco mundo, condecéti, et secúro, sub sera, et fida custódia diligénter serváte. Quisque vestrum expositiõnem Sýmboli et Oratióis Domínicæ juxta orthodoxórum Patrum traditiõnes penes se hábeat, eásque atque Oratiónes Missárum, et Epístolas, Evangélias, et Cánonem bene intélligat, ex quibus prædicándo, pópulum sibi commissum sédulo ínstruat, et máxime non bene credéntem. Intróitum Missæ, Oratiónes, Epístolam, Graduále, Evangélium, Sýmbolum, et cétera non secréta, alta et intelligíbili voce próferat. Secréta vero, et Cánonem, moróse et distíncte submissa voce legat. Psalmórum verba, et distínctiões, reguláriter cum Cánticis consuétis intelligíbilitér pronúntiet. Sýmbolum sancti Athanásii de Trinitáte et fide cathólica memóriter teneat. Exorcismos, et Oratiónes ad Catechúmenos faciéndos, ac réliquas preces super másculum, et féminam, pluráliter, vel singuláriter, respectíve, distíncte próferat. Ordinem baptizándi, et ad succurréndum infirmis, reconciliatiõnis, et commendatiõnis ánimæ, et in agéndis exséquiis defunctórum, juxta

modum canónicum obsérvet. Exorcismos, et benedictiões salis et aquæ pertinénter legat. Cánticum diúrnum, et noctúrnum sciat. Cómputum étiam minórem ad inveniéndum lítteram Domínicálem, tempus interváli diéi Paschæ, et majórum móbilium Festórum non ignóret. Vólumus autem, fratres dilectíssimi, quátenuis quæ nostra percepístis traditiõne, bonis studeátis opéribus adimplére, præstánte Dómino nostro Jesu Christo, cui cum Patre, et Spírítu sancto, est honor et glória in sácula sæculórum.

Tum Pontifex, dimissa mitra, surgit, et stans versus ad altare, dicit absolute:

Orémus.

Nulla est Dómine humánæ consciéntiæ virtus, quæ inoffénsè possit tuæ voluntátis judícia experiri, et ideo, quia imperfécum nostrum vident óculi tui, perfectiõni députa, miséricors Deus, quod perfécito æquitátis fine conclúdere peroptámus; te in nostris principiis occursórem popóscimus, te in hoc fine judiciórum nostrórum indultórem nostris excéssibus sperámus, scílicet, ut ignorántiæ parcas, errorí indúlgeas, ut perfécitis votis perfécitam óperis efficiám largiáris: et quia consciéntia remordénte tabéscimus, ne aut ignorántia nos tráxerit in errórem, aut præceps fórsitan volúntas impulerit justítiam declináre; hoc te póscimus, te rogámus, ut si quid offensiõnis in hac Sýnodi celebritáte contráximus, te miseránte, indulgéntiam sentiámus: ut in eo, quod solutúri sumus aggregátam Sýnodum, a cunctis primum absolvámur nostrórum néxibus delictórum; quáliter, et transgressóres vénia, et confiténtes tibi subsequátur remunerátiõ sempitérna. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Deinde benedicit solemniter omnibus, dicens:

Sit nomen Dómini benedíctum, etc.

Et dat indulgentiam. Quibus peractis Archidiaconus stans juxta Pontificem, dicit alta voce:

Recedámus cum pace.

Et respondent omnes:

In nómine Christi.

Tunc omnes pariter surgentes, Pontificem cappa indutum cum superpellicis ad domum reducunt. Si vero in primo die vel in secundo omnia negotia Synodi expediuntur; approbatis omnibus, et conclusione Synodi facta, Pontifex sedens cum mitra, ut supra, commendat se omnium orationibus, et leguntur nomina interesse debentium, admonentur per Pontificem congregati, et alia fiunt, prout supra sunt ordinata.